

distantiis sese validissime attrahere & ad contactum tandem pervenire. Præterea corpora duo contigua tenacissime cohererent & vi infinita; atqui hæc duo experimentis repugnant: Ergo &c.

Resp. Nego maj. Viget quidem potentissima attractio inter minimas particulas in minimis distantiiis. At si corpora nimia fuerint, vis attractiva in proximis duntaxat minimisque particulis residet. Porro si corpora duo eadem vi moveantur, velocitates illorum sunt in ratione inversa massarum; quare si corpora duo dicantur A, B, minimæ particulae c, d, velocitas qua corpus A tendit ad B, est ad velocitatem qua particula c solitarie spectata tenderet ad d, ut particula c ad corpus A; igitur ob corporis magnitudinem sere infinitam respectu particulae; patet inter magna corpora hanc alteram attractionis speciem ne in minimis quidem distantiiis exerceri posse; atque hinc aliqui philosophi rationem reddunt principii chimici: *Sales non agunt nisi soluti*. Tandem neque in contactu inter corpora quælibet viget attractio. Etenim attractio illa est ut contactus magnitudo directe & ut cubus distantiarum inverse. Quare si contactus magnitudo fuerit valde exigua & sere infinite parva, jam patet attractionem fore etiam infinite parvam vel nullam. Neque in nilo casu attractio erit infinita; probe enim meminisse oportet, quod jam monuimus, rationem triplicatam distantiarum exempli loco duntaxat habendam esse; admittenda est lex attractionis quæ non solum aliquam distantiarum dignitatem contineat,

sed